

~~No. 896~~

~~710~~ 703

D. FRIDERICVS GOTTLIEB ZOLLER

DE VERB. SIGNIF. ET DIVERSIS REG. IVR.

PROF. PVBL.

ET H. T.

PROCANCELLARIVS

DE

NVLLITATE PACTI INTER EMTOREM

ET VENDITOREM RESPECTV ONERVM

PUBLICORVM INITI

QVAEDAM DISSERIT

ATQVE

SOLENNIA DOCTORALIA

NOBILISSIMI CANDITATI

IOANNIS FRIDER. ROSSELET DE CHARPILLOT

DIE III. NOVEMBRIS CIOIOCCCLXIII.

CELEBRANDA

INDICIT.

Diss. jur. civ.

181, 20.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]



Subtilis sane est doctrina Romanorum, quam circa materiam pactorum scriptis et legibus nobis reliquerunt, Quis enim ignorat Romanos saepiuscule verborum aucupes fuisse et maius pondus verbis quam materiae tribuisse? Testimonium huius rei exhibent leges, quae stipulationi vi metuque in itae fidem dare, libertatem vero consensus parum considerare voluerunt, id quod Praetorem, quem iuris rigidioris correctorem et aequitatis defensorem agnoscimus, commouit, ut parti ex eodem negotio laesae, restitutione in integrum, vel per modum actionis vel exceptionis succurreret. Ex hac ratione dependet quoque diuisio pactorum nudorum et vestitorum, quorum priora cum in nudis conuentionum terminis consisterent *l. 10. C. de pactis* nullam producebant actionem, posteriora vero ob assistentiam legis vel grauitatem negotii effectum sibi vindicabant. Ad huiusmodi conuentiones potissimum referuntur pacta contractui adiecta, quibus negotium principale, respectu cuius ut accessoria considerantur efficaciam atque valorem tribuit, quod frequentissime contingere solet circa emtiones venditiones, partim ut contrahentes naturalibus derogent, partim eadem au-
geant,

IV

geant, vel circa accidentalia disponant et legem conuentioni dicant. Ex iisdem pactis quaedam ita comparata sunt, vt ob aequitatis rationem de eorum valore nihil sit monendum, quaedam ex aduerso ob iniquitatem concurrentem, dubitationem excitare soleant. Quem enim fugit, quanta lis quantaque disceptatio inter Doctores de eo quatenus venditor per pactum onera rei venditae in se suscipere possit, oriatur. Cum enim ex legibus tam antiquis quam recentioribus satis abunde constet, obligationem venditoris, rite contracta venditione, eam fuisse, vt rem ab omnibus oneribus liberam traderet emtori, et ex natura emtionis venditionis ad euictionis praestationem, si quid aduersi accidat, obligatus esset venditori, emtoris autem obligationem inter alia eo tendisse, vt onera rei imposita et tributa post traditionem factam, tanquam possessor praestaret, talis conuentio, per quam fundus a praestatione onerum liberatur, occasionem in vtramque partem disceptandi non immerito praebet. Ex iure ciuili diuersa de hac re inter Doctores fertur sententia. Generaliter hoc pactum in praeiudicium fisci non valere, sed fiscum non obstante eodem possessorem rei ad soluendum compellere posse adfirmant. Ast hic nihil noui supeditant, cum negari non possit, fiscum in exequendis tributis sequi possessorem rei, quippe intuitu possessionis eiusmodi praestantur onera, quapropter cum iura fisci per pacta priuatorum deteriora reddi nequeant, causa fisci manet salua, nec confirmatio huiusmodi conuentioni accedens iudicialis, quae alias negotiis nostris addit pondus et laesionem tollit, aliquid efficit. De causa vero priuatorum an valeat et actionem cum effectu producat, alia obuenit quaestio. BRUNNEMANNVS, STRYCKIUS, LVDOVICVS et alii affirmatiuam fouent sententiam et ad illustrandam causam prouocant ad *l. 42. §. 2. ff. de Pactis* in qua VLPIANVM ea proferentem audimus. *Pactum vt si quas summas. propter tributiones praedii piguori nexui factas creditor soluisset, a debitore reciperet, et vt tributa eiusdem*

dem

dem praedii debitor penderet, iustum ideoque seruandum est.
 Sed dubito an ex hac lege id quod interpretes quaerunt, deduci et ad casum controuersum extendi queat? Oppignorauit debitor fundum, praestationemque onerum publicorum in se recepit, hoc pactum respectu fisci improbat *VLP IANVS*, intuitu contrahentium igitur, cum de illis nil dixerit *ICTUS* pro valido reputatur. Agitur in eadem lege de casu, quando debitor, qui dum rei oppignoratae dominus manet, et possessionem retinet, ex natura possessionis, cui cohaeret tributorum praestatio, etiamsi pactum non interpositum fuisset, de oneribus respondere debuisset. An vero *BRVN NEMANNVS* hanc decisionem et ad venditorem, qui possessionem rei per traditionem amisit, cum eius conditio longe sit diuersa, adplicare queat, merito negatur, cum ratio decidendi qua usus fuit *VLP IANVS* in *l. 42.* ad casum diuersum extendi non possit. Alia itaque nobis placet sententia et praestructis principiis efficaciam huius pacti tam secundum leges ciuiles, quam Saxonicas negamus. Quod ad ius Ciuile attinet insistimus Praetori *l. 7. §. 7. ff. de pact.* Pacta conuenta, ait, quae neque dolo malo, neque aduersus leges, plebiscita, Seta, Edicta Principum, neque quo fraus, cui eorum fiat, facta erunt, seruabo. Elegans est dictum Praetoris, qui, in omni pacto ad bonam respicit fidem, et ne principia aequitatis detrimentum patiantur, disponit. Ast quis negabit, talem conuentionem, qua venditor rem cum emolumentis transfert et onera retinet, iniquam et bonae fidei inconuenientem esse? Quemadmodum enim socius; qui sibi soli lucrum quaerit, et damnum imponit alteri iniuste agit, ita parem ob rationem notam iniquitatis et maculam turpitudinis emtor haec agens haud effugiet. Habet emtor rem, percipit commoda, et tamen praestationem onerum, quae cum emolumentis similitudinem quandam habent et ex iisdem dependent, iniusto et animo satis franduloso, declinat. Perpendat secum, emtionem ex mente *VLP IANI l. II. §. I. ff. de Actionibus emti*

VI

bonae fidei esse iudicium, quod dolum respuit et machinationes, quacunque ratione obuientes, execratur. Quamuis enim praetor *l. 7. §. 6. ff. de pactis*, si fraudandi causa pactum factum dicatur, nihil adiecerit, eleganter tamen Labeo ex mente **VLP**IANI *§. 10.* dicit: hoc aut iniquum esse aut superuacaneum. Obiicies forsan, venditorem versari in culpa, cur ita contraxerit, volenti vero non fieri iniuriam, et damnum quod quis sua culpa sentit, non sentire videri. Sed scias hoc non obstare, valet quidem pactum, quo quis sua culpa damnum sentit, modo turpitude quaedam naturae pactorum omni ex parte contraria, huic non insit. Dependet impositio onerum publicorum ex iure fisci, fiscus in oneribus imponendis respexit ad proprietatem rei et vt onera emolumentis sint proportionata, eademque non excedant, voluit. Probat hoc **VLP**IANVS *l. 4. §. 1. ff. de Censibus* Illam aequitatem ait, debet admittere censitor, vt officio eius congruat, releuari eum, qui in publicis tabulis delato modo frui certis ex causis non possit. Quare et si agri portio chasmate perierit, debebit per censitorem releuari. Si vites mortuae sint vel arbores aruerint, iniquum eum modum inferi censui. Sic forma praestandi onera praescriptione legum publicarum dependet ex possessione rei, et illi, qui rem vnde veniunt, possidet, incumbit. Pacta inter priuatos inita formam lege publica determinatam vt supra demonstraui, mutare haud valent nisi insimul lege arbitrio partium hoc sit relictum. Accedit et illud, quod per tale pactum dulus emtoris saepe numero consequatur vires et augeatur, cum venditor aere alieno obrutus ad vendendum compelli possit. Miser ille homo anxie quaerit emtorem, et vt ab insultibus creditoris, cuius avaritia ne minimum temporis spatium perdit, se immunem videat, omni studio intendit. Em-tor conditionis huius hominis non ignarus, ambabus, vt ita loquar, manibus, lucrum quaerit, et vt bonis conditionibus, siue aequae siue iniquae sint rem consequatur, contrahit. Hoc efficit,

efficit, ut cum venditore, quem summa premit necessitas, tali modo paciscatur, illumque ad resistendum infirmum, ad retinenda onera rei imposita, cogat. Sic venditor, cuius intentio bona erat, citra voluntatem et inuitus quasi maioribus implicatus est debitis, et dum se a solutione liberare volebat, maiorem debitorum numerum auget. Bene hoc introspexit Imperator *l. 1. C. sine censu vel reliquis functum comparari non posse*. Qui pactum penitus his verbis improbat: *Ex conuentione quidem qua pactam nouercam tuam cum patre tuo dicis, cum fundum in dotem daret, ut ipsa tributa agnosceret, actio tibi aduersus eam competere non potest, etiamsi pactum in stipulationem deductum probetur*. Negat hic imperator efficaciam pacti, illud penitus nullum dicit, actionem exinde resultantem reprobat, nec stipulationem eo nomine contractam, quae olim ex rigore iuris firmissimum erat vinculum et saepius principia aequitatis laedere poterat, confirmat. Putat equidem *LVDOVICVS ad tit. de action. emti §. 5.* quod ex hac lege nihil certi desumi possit, quoniam iisdem fere verbis adhuc semel *l. 11. C. de pactis* reperiatur, in qua lege particula non esset omissa unde *GODOFREDVS* et *BRUNNEMANNVS* particulam *non* et ex *l. 1.* esse expungendam censent. Duplex commisit vitium *LVDOVICVS I)* quia credidit, *l. 11. C. de pact.* et eam esse, quae extat *lege I. C. sine censu*. In *l. 1.* de praestatione tributorum agitur quam per pactum nouerca dotem constituens in se recipit. Ast in *l. 11.* agitur de praestatione usurarum, quae creditoribus ex bonis dotalibus, nexui pignoris obligatis, competebant, hanc praestationem usurarum retinet nouerca, et iniquitatem huius pacti probat Imperator his verbis: *Ex conuentione quidem, qua pactam Nouercam tuam cum patre tuo dicis, cum fundum in dotem daret, ut creditoribus, quibus fuerant praedia obligata, usuras solueret, actio tibi aduersus eam competere non potest, etsi pactum in stipulationem deductum probetur*. Non igitur est absolum

ad

VIII

ad diuersos casus vnam adplicare sententiam, si ratio decidendi postulet, aut ideo non vera est sententia, vtramque legem vnum continere casum, quatenus praestatio vsurarum et praestatio tributorum sunt diuersa. Prior pertinet ad debitorem, posterior ad possessorem, non iniquum hinc videtur, vt nouerca vsurus retineat et creditoribus praestet, sed nihilominus hoc iniquum pronunciat pactum Imperator, non quidem ex hac ratione, quod tributorum praestationem non retinere possit venditor, sed quia vsurae fortis ex re oppignorata debentur, et conditio dotis reddatur deterior, quod tamen leges non probant et pacta eum in finem inita reiiciunt. Alterum vitium, quod imputamus LVDOVICO est, quod particulam non in *l. II.* de pactis reperire non voluerit. Bene fecisset LVDOVICVS, si e voluere voluisset Accursium, Glossatorum illum patrem. Hic *l. II. C.* inseruit, particulam vero non nunquam omisit. Scio equidem fidem glossatorum non tantam esse, fabulas enim et nugas proponunt, et sibi fingunt sententias, quae si accuratius considerentur, non merentur applausum. Sed cum semel fides Accursii triumphet in foro, ita vt quicquid non agnoscit glossa, nec agnoscat forum, auctor hac in parte Classicus, si ita dici fas erit, mihi dicendus venit, Eius assertum meretur fidem, manet particula non, nec extinguitur astutia typographorum, nec deletur arte Criticorum, etiamsi mille huius rei responsa ferre velint. Ex iure itaque Ciuili res est certa, et tam secundam naturam actus, quam expressas leges haec pactio est inutilis. Sed quid de Iure Saxónico? Decisio exstabat 65. in qua Legislato Saxonicus mentem declarabat, omnibus autem numeris nondum erat absoluta. Conseruabat tantum haec decisio iura fixi, domini iurisdictionis, et illorum, quibus hi reditus debebantur, et ne in eorum praeiudicium fieret pactio, prohibebat. Indecisus manebat casus circa personas contrahentium, et tacendo permilla quasi haec conuentio videbatur. Dissensum Dicasteriorum mouebat

uebat

uebat haec res, nec praeiudicia in vtramque partem deficiebant. Grauis ille error, titubans haec sententia Doctorum commouebat legislatorem vt Ao. 1746. dum de nouis meditarietur decisionibus decisione 17. specialiter de hac causa dispo-neret. Tres in laudata decisione continentur enunciationes. Prima probat decisionem antea citatam sexagesimam quintam, et huic id addit, vt ratione pactorum, quae circa tributa post laudatam decisionem, etiamsi spatium 40 annorum contineant, fuerunt inita, nulla valeat praescriptio. Secundus casus in eo consistit, quod eiusmodi pacta, per quae venditor sibi reser- uauit onerum praestationem, etiamsi personae contrahentes sint coniuges vel coniunctae in futurum non valeat, sed potius in- efficax nec alterum ad praestandam euictionem vel interesse stringat. Tertius casus de pacto ante decisionem nouissimam inito, disponit, et id efficit, vt ille qui alteri immunitatem onerum promisit, alteri tantum interesse secundum proportio- nem onerum fundo impositorum, praestare debeat, Emtori tamen, restituto pretio, praedium venditum venditori resti- tuere permittitur. Relinquitur quoque venditori arbitrium, vt in casu, si tale bonum in alium transferatur, ius proti- miseos exercere queat, dummodo ante resignationem iudi- cialem hoc quaesierit. Ex his satis liquido constat, iniqui- tatem huius pacti introspexisse legislatorem Saxonicum, prin- cipia Iuris adprobasse et tergiuerfantibus occasionem alendi lites frustraneas ademisse. Vnicus adhuc remanet casus inde- cibus, vtrum in retrouenditione pactum, quo venditor onera rei praestanda retineat, valeat et efficaciam habeat. Mihi hac in re distinguendum videtur, vtrum venditor rem venditam rur- sus conducat, et mercedem vsuris, quae ex sorte debentur proportionatam soluat, nec ne; In priori casu admitto pactum, non enim occurrit iniquitas, cum negotium fere sit mutuum, et emtor tantum securitatis causa, quia non poterat hypo- theca in hanc summam constitui, retrouenditionem iniit. In

B

poste-

X

posteriori vero nego pacti efficaciam, quia emtor vere est dominus, et omnia emolumenta percipit, nihilque relinquit venditori, quam ut aliquanto oblato pretio suum recipere possit.

Ast haec in praesentiarum dicta sufficiant, cum potius ad honores candidato Generosissimo et Doctissimo IOANNI FRIDERICO ROSSELET DE CHARPILLOT conferendos sit properandum, cuius vitam uti ipse conscripsit, communicabimus.

Natus sum Mense Iunio anni huius Seculi XLI. Bernae Heluetiorum, quae Serenissimae Reipublicae Bernensis Metropolis est, cuiusque, ut et Neocomensis Ciuitatis me Ciuem, Patricium alibi vocant, glorior. Parentes nunc coelicolas venerari contigit: DAVIDEM FRIDERICVM, Christianissimi Regis in Castris olim Centurionem; Matrem vero IOHANNAM FRANCISCAM, ex Generosissima Burgundiae Gente PERRAULT DE MONTREVOLT progenitam, unde inter Maiores decus PERRAULTII clarissimi viri obtinent.

Nondum quinquennis eram, quum Pietate in Matris Auunculum beatum DE LA BAILLE, vterque Parens cum integra familia in Galliam et quidem Aureliam urbem proficisceretur, vnde post anni et quod excurrit lapsus, in Patriam me reduxit optimus dum viueret Pater. Almi Genitoris, etsi ipse inter annorum crepitum educatus fuerat, voluntate Musis consecratus, domesticos praetereo Praeceptores atque Philosophiae Rudimenta, ut memorem Lausannae florentissimam Academiam, quam ante hos quinque annos adii Themidi nomen daturus; Primus illic Naturae me docuit leges Magnificus h. t. Rector VICATVS, Doctor et Professor Iuris, eruditione nulli celeberrimorum secundus: — Eam Lausannensi Academiae et Ciuitati laudem debeo et cordatus refero, ut nunquam nisi summa cum voluptate Lausannam cogitem ac inter familiares praedicem, vixque mea certe sententia, esse aliam formandis moribus et promouendis studiis vrbe illa praestantiorum ingenuus fatear. Vno circiter anno Lausannae transacto, et quidem ob ciuium mansuetudinem suauissime, Bernam redux auditor factus sum Magnifici et Amplissimi LERBERI, Reipublicae Ducentumviri meritissimi, qui tunc Institutiones Iustinianaeas Duce Hombergkio zu Vach mire illustrabat; Sed visendarum exterarum Regionum cupidine tactus Mense Octobr. MDCCCLX.

Argen-

Argentoratum petii, ubi Illustrium illius Academiae Antistitum, SCHOEPFLINI, TREITLINGERI, EHRLIENI, LORENZII beatique GRAVELII etc. Scholas frequentare, ibique historicis et legalibus Disciplinis imbui contigit. Exeunte vero Aprili MDCCLXII. rursus domum redii comite fratre minore natu, qui mecum Argentorati studiorum causa commoratus fuerat, quemadmodum antea Lausannae maior, qui maximo suorum dolori ante hunc annum pie defunctus est. Interea iterum Perillustris LERBERVS, nunc supremi in quo Maestas Reipublicae residet Senatus, per Trachselwaldensem Praefecturam Legatus-Naturae Praecepta ex ipsis hominis Rerumque finibus edocuit, dum priuatum aequae ac publicum sui aditum, gratus recorder, Vir Summus faceret, Successorem in Iuris Nat. Gent. et Ciuilibus Cathedra nactus DANIELEM FELLEBERG generosissimum et clarissimum Virum, quem ut laudauerim amicitia vetat, sed nominasse satis est. Pacata diuinitus Saxonia, quam felicitatem expectaueram domi, Lipsiam properaui, daturus nomen inclutae huic Studiorum Vniuersitati, quae facile princeps sui temporis erit; quod quidem factum esse laetor dum WINKLERVS fascis Magnificus teneret, die nimirum XXIX. Mensis Aprilis huius anni. Maximum Studiorum quae Lipsiae institui, adiumentum fuit, quod Illustris BELIUS germanici Imperii antiquiora praecipue fata pragmatica methodo enarraret. Iuris vero germanici priuati delicias, propinante Magnifico Ordinis Iurisconsultorum Ordinario HOMMELIO, quem reuereri, non laudare meum est, vix primis degustare labris ob dolendum Patris obitum Fata siuerunt. Ciuile Romanorum Ius quod in Digestis asseruatur eximia sua doctrina explanauit SEGERVS, multam praeterea exercitiis disputatoriis lucem Iuris scientiae affundens. Sed et Venerandi ERNESTII atque celeberrimi Saxoniae Historiographi BOEHMII auditoribus felix nonnunquam interfui. Quid tamen sine moribus studia? Beatum me praedico atque indies praedicabo magis, quod ex ore incomparabilis GELLERTI moralia haurire vitae praeccepta virtutemque ediscere superi concesserint, cui nostri temporis Socrati hac data occasione, dulcissimorum quoque intra priuatos parietes sermonum gratias quas possum maximas ago. Tanta est, Praesidis mei HOMMELII inquam, et GELLERTI Doctrina tantaque sunt merita, ut vtriusque nomen non intermoriturum esse confidam, nisi cum omni virtutis et scientiae inter mortales amore. Te quoque publice interpellare liceat optime CLODI! quem vere doctum simul ac cognoui, suspicere atque amicum habere coepi amantissimum. Nunc in patriam reuersurus hos praecceptores vere inuitus relinquo.

XII

Peractis studiis ordinem nostrum adiit et vt ipsi honores Doctorales conferantur petiit. Precibus eius locum dedimus, et ad consueta examina illum admisimus, in quibus desiderio nostro ita satisfecit, vt ex voto omnium dignissimus iudicaretur, cui titulus Doctoris vtriusque iuris tribuatur. Quem in finem futuro die II. Nouembris hora prima pomeridiana in auditorio Ictorum *l. i. C. de Legibus* interpretabitur, dieque sequenti III. Nouembr. Dissertationem sub titulo *Ius mundi vniuersale ex sententia veterum Ictorum* sub Praesidio Rectoris Magnifici, Viri Illustris Summe Reuerendi et Excellentissimi Domini, Domini CAROLI FERDINANDI HOMMELII suae Regali Celsitudini Serenissimo Electori nostro a consiliis aulicis, Professoris Decretalium publici, Academiae nostrae Decemviri, Curiae prouincialis Lipsiensis assessoris, inter doctores Primarii Facultatis nostrae Ordinarii, habebit. Quibus praestitis Vir Excellentissimus atque doctissimus Dn. *Carolus Godofredus Winkler* Facultatis nostrae assessor, Curiae prouincialis Lipsiensis pariter quam Consistorii Aduocatus, Senator huius ciuitatis grauissimus collega amantissimus, ei hanc dignitatem more maiorum tribuet. Cui actui vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS ILLVSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES CIVES GENEROSSISSIMI ET NOBILISSIMI interesse, et praesentia eundem splendidiorum reddere velint, enixe rogamus. Lipsiae Dom. XXII. post Festum Trinitatis MDCCLXIII.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

